Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Ambrosii Calepini Dictionarivm Vndecim Lingvarvm

Calepino, Ambrogio

Basileae, 1616

E ante S

urn:nbn:de:bsz:31-107476

Visual Library

Erymna, ἐρυμνα, Vrbs Lydiæ, Trallis poſtea dicta. Steph.
Erymnæ, ἐρυμναί, Vrbs Lyciæ, Steph.
Eryſthea, ἐρύσθεια, Vrbs Cypri in quo Apollo Hylates colitur, Stephan.
Eryſice, ἐρυσίχη, Vide Oeniadæ, urbs Acarnaniæ, quæ poſtea Oeniadæ nominata eſt: aliqui totam Oeniadarum regionem Eryſicem nominarunt, ab Eryſice Acheloi filia, gentile Eryſicæus, Steph.
Erytheus, ἐρυθεὺς, rex fuit Athenarum, Orithyiæ pater, quam Boreas rapuit, & in Thraciam deduxit.
Erythia, [ἐρύθεια. Ger. Ein Inſel im Hochmeer nahe bey den Gadibus, heiſt jetzt Caliz.] Inſula eſt in Oceano, proxima Gadibus, in qua olim Geryones regnaſſe creduntur. In ea tanta aëris benignitas eſſe fertur, ut homines pariat penè immortales. Strabo lib. 5, & Plin. lib 4 cap. ult.
Erythini, ἐρυθῖνοι, Vrbs Paphlagoniæ, παρὰ τὸ ἐρυθρὸν. Apollonius ἐρυθίνους dixit Steph.
Erythra, ἐρυθρὰ, Vrbs Ionũ, quæ & Cnopupolis, κνωπούπολις, à Cnopo vocabatur. Alia eſt Libyæ, & alia Locridis, alia Bœotiæ, & alia Cypri, quæ nunc *Paphus*, Steph.
Erythra acra, ἐρυθρὰ ἄκρα, Promõtorium eſt Libyæ, Steph. ἐρυθρὰ βῶλος, quaſi dicas glebam rubram, urbs Aegypti, Steph.
Erythræ, ἐρυθραί, Vulgò *Cabo bianco*, Civitas Aſię, non longè à Chio, ex qua Sibylla fuit, quam à patria Erythræã nominaveruntantiqua ſanè mulier, & divinatrix, tempore Alexandri.
Erythreum mare, Pars Oceani, Arabiam à Meridie alluens: ad Occidentem, Arabico: ad Ortum, Perſico ſinu terminata. [ים סוף *jam ſuph.* ἐρυθρὰ θάλασσα. Ger. Das Rotmeer oder das Arabiſch Rotmeer.] Ratio nominis variè traditur à ſcriptoribꝰ. Proximè tamen ad veritatem videntur acceſſiſſe, qui ab Erythra rege, Perſei & Andromedes filio, dictum putãt: cui etiam opinioni ſubſcribit Arrianus, Geſtorum Alexandri, li. 8. Reliquas opiniones, hic brevitatis cauſa omiſimus. Strabo lib. 16. A' Latinis autem per errorem videtur appellatum Mare rubrum. Nam quum audirent à Gręcis Erythreum vocari, exiſtimantes à rubedine aquarum ita dictum, ipſi quoq; Mare rubrum dixerunt.
Eryx, [ἔρυξ. Ger. Ein Berg in Sicilien, heiſt jetzt *Monte di S. Guliano*.] Nomen mõtis in Sicilia, ab Eryce ibi ſepulto: & nomẽ civitatis in eo ſitæ, in quo templũ Veneri cõſtruxit Eryx ejus filius. Ovidius ſecundo de Arte: Sed dea nec patitur ſic ad ſua munera cogi, Colle ſub umbroſo, quẽ tenet altus Eryx. Pomponius: Montiũ Eryx maximè memoratur ob delubrũ Veneris. Vnde Venus Erycina dicta eſt. ἐρυκίνη. Ovidius ſecundo Amor. Quid geminas Erycina meos ſine fine dolores?

E ante S.

Eſau. [עשו *heſa'v.* ἠσαῦ.] Nomen filii Iſaac, qui & Edom: hoc eſt, rufus: Seir, quod piloſum ſignificat, appellatus eſt.
Eſis, pro fluvii nomine, Vide AESIS.
Eſlinga, urbs Germaniæ in ducatu Vvirtembergico.
Eſſedones. ἰσσηδόνες, teſte Plin. lib. 4. cap. 12, populi ſunt Aſiæ, utranq; Scythiam incolentes, ſuper Mæotim lacum, non procul à Riphæis montibus, quibus (teſte Herod. lib 4. Hiſt. mos fuit parentum funera cantu proſequi, & congregatis proximis, cadavera ipſa pecudum admiſtis carnibus comedere: os autem capitis, quod *cranium* vocamus, auro cingere, & ad poculi uſum aſſervare.
Eſſæi, ἐσσαῖοι. Vna ex tribus religioſioribus Iudæorum ſectis: quæ omninò tres erant, teſte Ioſepho. Phariſæorum, Eſſæorũ, & Sadducæorum. Ex his Eſſæi uxoribus & vino, & carnibus abſtinebant, quotidianumq; jejunium vertebant in naturam.
Eſſus, ἐσσὸς urbs Locridis, Steph.

E ante T.

Etaci, ἐτακοὶ, urbs eſt Laconica, Steph.
Etaxalus. ἐτάξαλος, Inſula eſt juxta ſinum Perſicum, cujus meminit Plin. lib. 6. cap. 28.
Etearchus, chi, ἐτέαρχος, Oaxi civitatis Creticæ rex fuit, qui amiſſa uxore filiæ ſuæ Phronimæ novercã ſuperinduxit, quæ domum ingreſſa, ut erat, ita re ipſa ſe novercam pręſtitit, cùm lædendo, atque omne injuriarum genus excogitando, tum ad extremum impudicitiam impingẽdo. Etearchus criminationibus uxoris fidem habens, Themiſonem quendam Theręum jurejurando aſtringit, ut acceptam Phronimam in mari demergeret. Qui quum ſe neque Etearchi crudelitatis miniſtrum præbere vellet, neque rurſus jusjurandum violare, revinctam funibus puellam demiſit in pelagus, eaq; ſubitò retracta, Theram pervenit: ubi Polymneſtus vir inter Theræos ſpectatus, in concubinatum Phronimam accipit: qui ex ea Battum genuit Cyrenarum in Africa conditorem. Autor Herodotus lib. 4.
Eteocles, penul. correp. ἐτεοκλῆς. Oedipi filius, ex nefando Iocaſtę matris cõcubitu editus: cui cum fratre Polynice ita convenerat, ut alternis annis regnarent. Exacto deinde primo anno, quũ Eteocles qui quòd major natu eſſet, primo anno regnaret, renueret fratri regno cedere: Polynices adjutus à Tydeo & Adraſto ſocero, fratri bellum intulit, in quo ambo mutuis vulneribus ceciderunt. Impoſitis deinde cadaveribus eidem rogo, flamma ſe diviſiſſe traditur: tanquam odium illud quod inter vivos fuerat, ne morte quidem finiri potuerit. Interpretatur autem Eteocles vera gloria, ab ἐτεὸς quod verum ſignificat, & κλέος, gloria. Vnde etiam ſine aſpiratione ſcribendum eſt.
Eteoneus, ἐτεωνεὺς, urbs Eubœæ, ἐτεωνὸς, ab Eteonto quodam, nunc *Scarphea* vocant, in colle ſita: λόφον enim lego, nõ λάφον. Steph.
Eteſiæ, [ἐτησίαι. Ger. Wind ſo Järlich etlich tag in den Hundstagen wäjen.] Venti qui certo anni tempore flant. Hos Strabo lib. 3. Subſolanos vocat hoc eſt, Euros. Hi quotannis ſub vigore æſtatis perflant XL. diebus poſt Caniculæ exortum. Dicti Eteſię: id eſt, annui: (ἔτος enim annus, ἐτήσιος, annuus) quòd ex omnibus ventis hi maximè ſtati ſint, & ſinguli annis eodem tempore redeant. De his Plin. libro 37. cap. 5. & Gell. lib. 2. cap. 18.
Ethalia, αἰθαλία, inſula in Liguſtico mari, Populoniæ urbi oppoſita, ab Ethalio, qui ei præfuit, ſic dicta. Quidam hoc nomẽ cum diphthongo ſcribunt. Vide AETHALIA.
Ethecuſa. Inſula eſt in ora Cariæ, nõ procul ab Argiis inſulis. Plin. lib. 5. cap. 31.
Etheleum. Fluvius minoris Aſiæ, olim Troadis & Myſiæ terminus, cujus meminit Plin. lib. 5. cap. ult.
Ethemon, nomen viri proprium, de quo Virg. li. 10. Aen. meminit, quum ait:

Et clarus Ethemon Lycia comitatur ab alta.

Ethici. Africæ populi, apud Plin. lib. 5. cap. 4.
Ethneſtæ, ἐθνεσταί, populi Theſſaliæ, ab Ethneſto Neoptolemi filio, Steph.
Ethuſa, Olim inſula fuit in mari Myrtoo, quæ deinde continenti apud Myndum accrevit. Plin. lib. 26 cap. 29.
Etis, ἐτίς, vicus Laconiæ, aut Cretæ civitas, patria Myſonis, unius ex ſeptem ſapientibus: unde Etius nominatus, Steph.

E ante V.

Eva. εὔα, Vrbs Arcadiæ: gentile Evæus, Steph.
Evadne, per d ante n, εὐάδνη, Martis filia ex Thebe uxore Aſopi, & conjux Capanei, quæ illum incredibili amore dilexit. Itaq; quum audiſſet illum apud Thebas occidiſſe, ferè in mortis ſtuporem diriguit: deinde quum celebraretur funus, ſe in rogum projecit. Ejus meminit Virg. 6. Aen. Evadneq; & Eriphylen, &c.
Evæmon, εὐαίμων, Pater fuit Eurypili qui cum Græcis ad Trojam profectus cum quadraginta navibus, præfuit Ormeniis, Autor Homerus in Catalogo navium.
Evænetus, εὐαίνετος, Nomen regis Lacedæmoniorum, qui ad cuſtodiendum introitum Theſſaliæ contra Xerxem unà cum Themiſtocle Athenienſium duce, à Græcis conſtitutus fertur.
Evagoras, ad quem Iſocrates ſcripſit.
Evaleni, εὐαληνοί, populi quorum meminit Glaucus libro 4. de Arabia.
Evan, Vnũ eſt ex Bacchi cognominibus. Ovid. lib. 4 Metam. Nyctelinsq;, Elaleusq; parens, & Iacchus, & Evan. Vnde Evantes, dictæ ſunt Bacchæ, quæ Liberi patris Orgia celebrantes, Evantis nomen identidem acclamabant. Virg. 5 Aen. Evantes Orgia circum Ducebat Phrygias.
Evander, εὔανδρος, Proprium nomen Carmentis filii, qui quum patrem imprudens occidiſſet, relicta Arcadia, in Latium ſeſe contulit, atq; pulſis Aboriginibus, in Palatino monte conſedit, ut oppidum Pallanteum fundavit, à nomine Pallantis (ut Virgilio placet) proavi ſui. Virg. 8. Aeneid. Arcades his oris, genus à Pallante profectum, Qui regem Evandrum comites, qui ſigna ſecuti Delegęre locum, & poſuere in montibus urbem, Pallantis proavi de nomine Pallanteum. ¶ Legitur & nominativus Evandrus. Virgil 8. Aeneid. Tum pater Evandrus dextram complexus euntis Hæret. ¶ Fuit etiam ejuſdem nominis plaſtes ac cælator egregius Athenienſis, à M. Antonio Alexandriam perductus, eoque victo, inter captivos Romam advectus, autore Acrone in illud Hor. 1. Serm. Sat. 3. menſáve catillum Evandri manibus tritum dejecit: id eſt, calicem nobiliter cælatum.
Evandrius, ia, ium, adjectivum: ut, Evandria regna. Silius lib. 7. Qui Carmẽtis opes, & regna Evandria ſervas. Virgil. 10 Aen. Nam tibi Tymbre caput Evandrius abſtulit enſis.
Evax, Vide in APPELLATIVIS.
Eubœa, [εὔβοια. Germ. Ein lange Inſel im Aegeiſchen Meer welche mit einem engen Meer von dem Land *Beotia* abgeſchnit iſt die heiſt jetzt *Negroponte*.] Nomen inſulæ eſt in mari Aegæo tam anguſto euripo à Bœotia diviſa, ut ponte illi conjungatur, inſignis tribus promontoriis, Gereſto ſcilicet ad Atticam vergente: ad Helleſpontum Caphareo, exitio Græcæ claſſis notiſſimo: